



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi**

**Clagius, Thomas**

**Coloniae Vbiorvm, 1659**

XVI. Postremi Mensis Junii dies.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11544**

leucarum, intra diem non integrum emetiri pedes  
valuerit.

## CAPUT XVI.

Postremi mensis Junii dies.

PRImus horum, ad VIII. Cal. Quintiles est; quo  
fortuna forti, ut ait Varro (a) Servius Tullius, secun-  
dum Tiberim extra Urbem dedicavit. Hinc Ovidius in  
Fastis:

*Plebs colit hanc, quia, qui posuit, de plebe fuisse  
Fertur, & ex humili sceptrata tulisse loco.*

Naves quoque coronatas per Tiberim convivia  
agitasse idem memorat:

*Ferte coronata iuvenum convivia lintres,  
Multaque per medias vina bibantur Aquas.*

Alia de caula forti fortunæ apud Lindam Ma-  
rianam locus esse potest, ubi Dei ac Deiparæ bene-  
ficio, pulsus tot morbis, vires & robur mortalibus  
redeunt.

### I.

Mulier in partu adjuta, Vir maleficiis & in-  
fantiâ liberatus.

Dicta igitur VIII. Cal. Jul. die Matthias Zdu-  
nowski, silvarum Illustrissimi Episc. Varmiensis præ-  
fectus, cum uxore Gertrude beneficiorum à B. V. ac-  
ceptorum memores, gratias & vota reddiderunt. Ger-  
trudis primo partu ante annum, plus hebdomadâ do-  
lores parturientium perpeffa, vitæ proximû in discrimẽ  
adducta jam erat; à quo per votum B. Virgini fa-  
ctum

(a) lib. 5. de lingua lat.

ctum continuò erepta est. At verò Matthias, sub idem fere tempus, siue alia de causa, siue alicujus, ut putabatur malefici operâ intimis viscerum, scapularum, membrorumquè cæterorum doloribus propè ad insaniam redactus est, ut ne domi quidem stando aut jacendo, quietem ullam caperet, sed quasi amens dies ac quæ ac noctes, per hebdomadas quatuor, propemodum insomnis, campos & silvas pererraret. Suo tandem & conjugis voto Lindam edito, restitutus est tum animi tum corporis viribus.

## II.

Oculorum dolores iteratò absterfi.

Thomæ Engelke è Pissen Seeburgensi villa coloni uxor Anna, gravissimam oculorum inflammationem proximis quadragesimæ diebus, doloresquè capitis experta, agrè vel tantillum spectare luminis jam poterat; mox tamen voto Lindam facto revaluit. Verùm cum per incuriam votum non exqueretur, propequè memoriâ illius deposuisset, recurrens eadem cum acerbitate dolor, memoriâ ingrata hæud leviter refricuit. Quo demum excitata, quo primùm tempore licuit, peregrinationem Lindam suscepit.

## III.

Oculorum alter servatus, & sacer ignis extinctus.

Andreas Schwarck colonus VVuslacenſis, acutissimis oculorum capitisquè doloribus, per annos duodecim, quovis mense recurrentibus, neque aliud

ad ullum neque Lindensis Deiparæ auxillum quaerit. At ubi oculorū alter, vi doloris propè extinctus est, ne alter quoque extingueretur, supplex votum B. Virgini Lindensi fecit, & exinde tum alterum retinuit sanum; tum solitis caruit doloribus. Simul Barbara ejusdem Andreæ filia, parenti tum in via comitem, tum in agendis Deiparæ gratias lociam se adproximavit. A sex jam annis facer ignis totum caput invasit, ut & faciem exulceraretur, & ulceribus aliquando coalescentibus scabie & pforâ offunderetur undiq;. Per biennium varia chirurgorum aliorumque hominum adhibita variè præsidia; omnia in cassum. Adhibitur denique peregrinationis Lindensis votum, quod proximis ante Pascha diebus erat conceptum; & confestim morbus atque scabies, ut nullum proculius vestigium superfit, recessit.

## IV.

Oculorum morbus sæpe mitigatus, tandem penitus abactus.

Jacobi Nitsch Organædi Meelsaccensis filia Sibylla, ex oculis à decem jam annis ita laborabat, ut tumor faciem obsidens oculos penitus intercluderet, ac vix tantillum admitteret luminis. Jam tum ab ipso mali initio Sibylla, nullum nisi apud B. V. Lindensem præsidium quaesivit; quod etiam faciliè invenit. Quia verò morbus sæpe recurrere erat solitus, illa quoque ad suam Lindam identidem recurrere, & ab ea curari erat solita, quoad tandem ita ad extremum sanata est, ut à longo jam tempore incolumi utatur visu.

Bbb

V<sup>e</sup>

## V.

Parentes infantem curatum è Lituania  
sistunt.

Andreas Lachowski è Grodnensi in Lituania provincia, inter silvarum regiarum præfectos non postremus, simul cum Mariana uxore suâ, filiolum infantem Georgium, B. Virgini Lindensi voti reum stiterunt. Proximo vere gravissimum per octo dies morbum passus, curari humanâ ope nullatenus potuit, ad divinam proinde parentes confugerunt, & simul ac votum Lindam nuncuparunt simul infans quoque convaluit, & Lindam satis validus est deductus.

## VI.

Mulieres aliquot non catholicæ beneficia  
expertæ.

E Rheinensi municipio, ut emissitios prædicantem oculos, ni fallor, bono dolo fallerent, noctu iter egerunt mulieres tres, & primo diluculo Lindæ vota reddiderunt sua: quarum duæ cruciatu dentium, pedum verò tertia erat liberata. Catharina quoque Ioannis Straus coloni in Langwald pago, juxta Scippenbeil sito uxor, comitante matrem sexagesimum jam annum longè prætergressam filio Ioanne, triginta annos nato, vota pro impetrata utrinque incolumitate solverunt. Mater enim perquam acri oculorum dolore à sexennio laborarat, & jam expeditâ Lindam ferè à biennio peregrinatione, maximum senserat auxilium. Recurrente autem iterum dolore, iterum nunc idem à B. V. collyrium

inflagrat; iterumque levamen sentiens perfectam  
 colorum sanitatem expectat, præsertim cum etjam,  
 quindecim jam annis, viscerum torminibus immo-  
 dicè jactata, plurimum curationis à B. Virg. ante sex  
 annos impetrarit. Iam verò Ioannes filius veneno ut  
 urabatur, in aula nobilis cujusdam infectus, atque  
 immani tumore corpus totum distentus, exemplo  
 monitisque matris ante quinquennium Lindam vo-  
 tum nuncupavit, & non magis humanis, quàm adhi-  
 ta sunt, remediis, quàm Deipara ope ut ipse fate-  
 ar, sibi restitutus est. Quò magis sollicitavit matrem,  
 ut sibi liceret facto tandem respondere voto; eoque  
 facilius id obtinuit, quòd ipsa quoque mater, animo  
 Lindensem peregrinationem agitarit; quam hodie  
 cum filio incolumis absolvit.

## VII.

## Duæ itidem non catholicæ mulieres

à B. V. auditæ.

Sexta ante Calend. Iul. die, duo è Ducatu iti-  
 de sorores mulieres, quarum altera in V Voterkaim,  
 altera juxta Eylau in Poschlessen habitat, adfue-  
 runt. Et hæc quidem internos viscerum cruciatus at-  
 que tormina diu passa, ubi se Lindam vovit invi-  
 suram, singulare dolorum omnium levamen sensit:  
 illa verò ruinâ domus ante biennium oppressa,  
 voto itidem Lindam facto, non vitam mo-  
 do retinuit, sed etjam prolem vivam in lucem effu-  
 dit, cum ante geminam fuisset mortuam enixa.

Bbb 2

VIII.

## VIII.

Wartemburgensium processio, & eorum  
totiusque corporis dolor  
abactus.

Ad v. Cal. Juliar. plura fuissent consignanda literis Deiparæ beneficia, nisi ob multitudinem populi, qui ad numerosam, egregiamque Wartemburgensium processionem, aliunde quoque affatim conflavit, locus & tempus consignandi defuisset. Unus certe confessariorum, sex circiter homines dimisit, qui, ut notarentur, redituri erant, urgentibus tamen angustiis temporum, nusquam deinde comparuere. Duo nihilominus conscripti sunt, Petrus Klus, è Ducatu, & Regina Georgii Knor civis Wartemburgensis filia. Ille inter sectarios catholicus, per quatuor hebdomadas, capitis & totius corporis prostratus decumbebat doloribus, voto Lindam facto, surrexit confestim, & viribus suis quæ ambulando, quæ alia moliendo uti cæpit. Illa acutissimis circa eoxendices præter spem correpra doloribus, per sex hebdomadas diu noctuque omnem sibi, parentibusque quietem, suis ejulatibus abruptit. Sed & mater, ubi Lindam atque Glotoviam nuncupavit votum, vires malo abruptit: continuo enim solutum in pus atque saniem, utrique pedi sanitatem restituit.

## IX.

Heilsbergenses quidam beneficia  
experti.

Joannes Wintzer civis Heilsbergensis, ante  
duos

hos annos peste civitatem jam populante, alio morbo, non minus periculoso correptus, ideoque afflanti pestilentia maximè obnoxius fuit. Difficillimo illo tempore, nullum aliunde præsidium aut auxilium, aut si peteretur, conducere potuit. Vxor de matris, filia Catharina de parentis salute vehementer sollicita. Lindæ præsidium censuerunt petendum, & quemadmodum petierant, obtinuerunt. Statim enim votum ab iis erat nuncupatum, ille convaluit. Inde & uxor superiore anno, & filia hoc gratias Lindæ egerunt. Quo tempore videlicet ad iv. Cal. Julias, et jam Gertrudis Georgii Koenigsmann civis Lindensium filia, gratias pariter egit; quod tempore proximè elapso, ubi votum peregrinationis Lindensis edidit, acerrimo dentium cruciatu, qui supra quatuor menses desaxierat, liberata fuerit.

## X.

## Brunsbergensium non pauci auditi.

Eadem quartâ Calend. Juliar. die, Iacobus Hoffman, summi Pontificis Brunsbergæ Alumnus Bisteinensis oriundus, absoluto Philosophiæ cursu, peregrinationis Lindensium stadium pedes decurrit, ut Deiparæ, voti restituta sibi ante biennium sanitate gratias redderet. Vtebatur fortè Revendi Dō. Alexandri Minei, in nova civitate Vicarii (qui id ipsum Lindæ eadem præsens sanctè affirmavit) hospitio, cum repente morbo corripitur, ac propè è vita eripitur. Nulla illi de vita prorsum dubia, nisi de sacro Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramento, tanquam extremo viæ communitate, cogitatio; cum tacite se moneri sensit, ut sese

Bbb 3

Deipa-



Deiparæ Lindensî offerret: obtulit, & confestim restitutus sibi est. Idem quatuor annis retro, contigit ibidem Catharinæ Jacobi Lidig civis filiz Virgini, quæ pedem casu luxaverat, & diu ægra tum suo, tum matris voto, B. Virgini Lindensî commendata, ad eam, quam nunc matre comitante Lindam attulit sanitatem, confestim rediit. Sed & Gertrudi Laurentii Weis, civis eidem Brunsbergensis viduz, eadem salutis aura, ab ipsa usque Linda adspiravit. Tota fere hujus, ac tuperioris anni hyeme, tussim pertulerat gravissimam, ut vix suffocata interdum non sit. Postquam in somnis quodammodo admonita, votum Lindam nuncupavit, simul respiravit, simul ad pristinas rediit vires: quibus nunc frea, iter sat longinquum aggressa est. Quod quidem iter jam quartum emensus Lindam est. è Brunsbergensî municipii pago Schelginen dicto, Matthæus Ewert, qui ante quatuor annos brachium dextrum casu perforaverat, & in ejus mali curatione, si revaluisset, frequentaturum se Lindam promiserat; revaluit, & beneficii gratus, identidem ad suam recurrere sospitaticem.

### XI.

Tolckmitenses plures varia experti beneficia.

Ad cæteros hac die peregrinos, undeviginti Tolckmitensium accesserunt; quorum non pauci vel suo, vel suorum nomine, pro acceptis à Diva Lindensî beneficiis, gratias egêre. Gregorius Hoffmann octua-

tuaginta trium annorum senecio, sui loco ne-  
 orem è sorore Laurentium Schultz, Tolckmitensem  
 dem civem, unà cum Dorothea privigna misit.  
 ante sex circiter annos correptus erat gravi morbo,  
 per tres hebdomadas vix loqui, aut homines  
 valentes nôsse posset. Visus interea sibi est, quasi  
 valentem] B. Virginem, per somnium intueri, seque,  
 Lindam conferret, admoneri. Fecit confestim ad-  
 undæ Lindæ votum, & convaluit. Cùm autem per  
 crepitam ætatem, octodecim minimùm leucarum  
 et, non posset ipse ingredi, varias Deiparæ imagines  
 eri, & transmitti curavit. Verùm hoc iterum anno,  
 idem fere morbo, centè æquè periculoso tentatus,  
 erum à B. Virgine Lindente opem expetiit, &  
 pottravit. Quocirca non jam imagines, ut ante,  
 rum & privignam & generum suum Lin-  
 am misit. Quibuscum idem arripuerunt iter,  
 am Jacobi Schultz civis Tolckmitensis uxor Do-  
 rothea, tum Gertudis mulier ibidem inquilina: qua-  
 am hæc oculorum dolore, vel potius cæcitate supra  
 uni unius spatium, percussa; non nisi alieno ductu  
 adum facere poterat, imploratâ Deiparæ ope visum  
 cepit; & quanquam præterito jam anno promissum  
 Lindam iter decurrerit, tantè tamen beneficium sibi  
 illatum æstimat, ut & hanc, & si potuerit,  
 pures deinceps adjiciat Lindam usque protectiones.  
 am verò Dorothea genu totoq; ad eò pede sinistro,  
 rissimos per annum experta cruciatus, ut eos non-  
 sili constriectis ac stridentibus interdum dentibus  
 pferret, ubi se Lindam promisit ituram, omni li-  
 era cruciatu, magnam tanti itineris partem confecit

pedes. Pedes itidem totum iter decurrit Laurentius Nadram civis & pannifex, unaquæ filiolarum suarum deduxit: quam cum per sesqui annum tabe consumi videret, neque aliunde speraret tanto malo opem, à Deipara Lindensi postulavit; ita ut non possit ulli, nisi illi salutem filiolarum secundum Deum tribuere: proinde, neque promissam eam causam peregrinationem potuerit negligere. Quamquam suam quoque causam & nunc, & ante biennium peregrinationem Divæ Lindensi debebat, à qua se fateretur adjutum, cum veneno infectus, supra annum propè contabuisse. Tamen enim humana quoque adhibita tum sunt remedia, ille tamen præ omnibus, Deiparæ auxilio salutem jam tum adscribebat, & nunc adscribit. Eisdem quoque adscribunt, tum receptum visum Ertmudis Petri Schultz inquilini uxor: tum redditam matri sanitatem Elisabeth Virgo Simonis Perschke civis filia. Hujus enim mater atrocissimis viscerum torminibus, tres propè menses laborabat; ut vitæ spes propè modum nulla superesset. Filia igitur desperatam matris salutem Dei Matri unicè commendavit, & nuncupato Lindæ voto, quod cupiebat impetravit. At verò Ertmudis per biennium profum cæca, nusquam nisi quo duceretur, progredi potuit: tantisque insuper capitis est doloribus exagitata, ut non nisi admotis identidem capiti manibus dolores utcunque perferret. Diu multumque chirurgi nequidquam experta opem, secundam Paschatis feriã ad B. V. Lindensem voto facto confugit, & soluta omni cruciatu, usum quoque luminis recepit; ut non modo perambulare quaquaversum domi, verum & iter hoc posse

posset ingredi. Quin imò cum viam septem fere leucarum intra diem confecisset, & fatigata, suo aliorumq; comitum iudicio prosequi iter nō posse videretur, intimis animi votis ad prosequendum accensa; postridie ita confirmatarum se invenit virium, ut & unā pergeret, & totum iter pedes absolveret; domū quoque, ut sibi fudit, pedes reditura. Simile in morbo dissimili experta Deiparæ auxiliū, Martini Homan in Karschau Tolckmitensis agri pago, uxor Anna. Verno superioris anni tempore, per sex hebdomadas febris malignā eò erat deducta, ut sibi rarò præsens sæpe et jam viribus linqueretur. Maritus ita omni destitutam præsidio Deiparæ Lindensi eā conditione obtulit, ut, vel ipsa, si revaluisset, ac per vires posset, vel certè ipsemet profectionem Lindā susciperet. Convaluit illa, & iter aggressa, non pauca illius milliaria, infantem ulnis bajulans decurrit pedes. Idem quoque decurrit iter avunculi sui nomine Margareta Virgo, de qua jam alio loco (a) memoravimus.

## XII.

Et jam catholicæ expertes fidei beneficia  
Deiparæ experti.

Eadem quoq; die inter eos, qui è Ducatu Prussiæ, quamvis non catholici, Lindam visitarunt, fuit Gregorius ex Insterburg. municipii pago, Scheenlindedicto, duabus leucis Allenburgo distito, pagi præfectus, scultetus vulgò dictus. Is jam ante, filio suo ex herniâ (quam nulla medicorum ars quamvis sollicitè

B b b 5

adhi.

(a) lib. 4. cap. 33.

adhibita curare poterat) diu periculoseque laboranti, per votum Lindam factum, sanitatem impetrarat, votoque defunctus jam erat. Cum porro, & gener ipsius, per decem hebdomadas, oculis proflum captus, & filiola duodecim circiter annos nata, morbo comitali gravissimè esset afflicta, utriusque causâ iterum Lindam votum fecit, iterumque sanitatem utrique impetravit. Quocirca & ipse, filiola dictâ, filioque Gregorio comitantibus, Lindam iterum adiit, donaria sua, genibus nixus, circaque majorem Aram ter genibus itidem reptans obtulit, gratiisque actis domum est regressus, salutem à sacra & Mariana Tilia, ad pulchram seu decoram itidem tiliam (id enim Schönlinde Germanis sonat) deportaturus. Quo quidem etiam tempore Matriona nobilis Dom. Wierzbinski ex Olecensi municipio conjux, præsentè ac comitante Lindâ conjuge, quindecim leucarum viam suscepit; & sacellum variis cum donariis ingressa, ter circum Aram majorem obeundo, atque ante eandem in genua procumbendo, suas preces fudit. Multos annos è capite atque oculis laborarat; auditis verò, quæ fama ubique spargit, Deiparæ Lindensis beneficiis, magnâ cum fiducia eò se contulit; præsertim cum ab eo tempore, quo votum ad eundem Lindam conceperat, plurimum se sentiat adjutam.

## XIII.

Processio gemina; & mulier altera partu, altera febris levata.

Die ante Cal. Jul. i v. ipso sanctorum Apostolorum Petri & Pauli festo, ad cæterorum peregrinorura

rum confluxum, gemina accessit processio, altera quidem Glotensium è Seeburgensi, altera verò Maraunensium è Wartemburgensi municipio; ut in ea hominum multitudine vix fuerit otium aut instituendi de acceptis beneficiis examinis; aut ea, quæ per examen indagata erant, connotandi. Par tamen mulierum consignatum fuit, quarum altera Joannis Althoff cauponis in Glockstein, altera Ludovici Baranowski Smoleinensis & Gutstadiensis Notarii uxor; illi Barbaræ, huic Hedwigis nomen. Illa provecæ jam ætatis anus, febrem totas quinque hebdomadas vehementem passa, voto Lindam facta convaluit; ista viridior adhuc ætate primam editura prolem, supra dies sex parturiendo laborabat, ut neque proli neque sibi promittere vitam posset. Utrique tamen vita constitit, ubi de familiarium consilio, vera vitæ genitrix apud Lindam invocata est MARIA: cui proinde supplex uterque parens, vitam & matri & proli servatam in acceptis tetulit.

## XIV.

Alia mulier partu feliciter levata.

Pridie Calendas Quintiles Petrus Krüger, è suburbio Brunsbergensi inquilinus, suo, uxoris, & prolis nomine, vorum pedes absolvit. Geminam prolem jam ante biennium uxor fuerat enixa, sed utramque mortuam: cum tertiam paucas ante

ante hebdomadas eniteretur, non de prolis modo, verum & de matris vita agebatur: ita partus dolores & pericula utramque urgebant. Ad beatam proinde Virginem Lindensem parens uterq; votum nuncupat, & proles eodem propè momento meliorem in B. Virgine experta est Levanam.

### C A P V T XVII.

Ipsa Calenda Quintiles, seu Visitationis B. Virginis pervigilium.

**L**ibet de Julio præmittere, quæ Macrobius de eodem tradidit (a) Sequitur Iulius, inquit ille, qui cum secundum Romuli ordinationem Martio tenente anni principium, Quintilis à numero vocaretur; nihilominus tamen, etiam post præpositos à Numa Ianuarium ac Februarium, retinuit nomen, cum non videretur iam quintus esse, sed septimus. Sed postea in honorem Iulii Casaris Dictatoris, legem ferente M. Antonio M. filio Cos. Iulius appellatus est, quod hoc mense ad IV. Idus Quintiles Iulius procreatus sit. Cæterum apud Lindam Marianam Iulius mensium omnium facile princeps est. Licet enim cæterorum quoq; nullus sit, qui peregrinorum affluxu & divinorum ubertate donorum non excellat, Iulius tamen, vel ob unum visitationis festum, quod præcipuum apud Lindam semper fuit, omnibus palmam præcipit. Nam & ipso festi pervigilio, & consequentibus deinceps octo diebus, plurima supplicantium agmina, processionesque diversissimis ac longè politis ex locis spectari solent. A quibus

(a) lib. I. Saturn. cap. 12.